EX MNEMOSYNES

BIBLIOTHECAE PHILOLOGICAE BATAVAE

VOLUMINE XXVI.

EPISTULA CRITICA DE


ARISTOPHANIS NUBIBUS,

QUA

MAURITIO BENIAMIN MENDES DA COSTA

SUMMOS HONORES IN LITTERIS NOSTRIS NUPER ACCEPTOS
GRATULATUR AMICO AMICUS

J. VAN LEEUWEN J. F.



Fert mos longo usu consecratus, ut quoties intimis nostris dies festus alluceat, munusculum aliquod boni ominis causa iis afferamus gratulantes, quo laetitiam nostram clarius quam meris verbis fieri potest indicemus. Itaque nuper, Amicissime Mendes, cum Senatus Universitatis Amstelaedamensis litterarum bonarum Doctorem te honoris causa creavit, et omnes qui aulam Academiae celeberrimo coetu implebant laeto plausu significarunt quam impense gauderent summos illos honores collatos in virum quem scirent iis esse dignissimum, mecum reputabam quid strenae loco offerre Tibi possem haud plane Te et optatissima ea occasione indignum, non nummis igitur paratum sed ex ipsa nostra disciplina expromtum. Iamque de Homero aliquid Tuum in honorem conscribere in animo erat: at quid de illo argumento poteram proferre quod non Tuum eodem iure posset dici atque meum! Scis enim quam artum semper fuerit vinculum illud studiorum nostrorum per longam annorum seriem carminibus epicis impensorum; in quibus quid ego, quid Tu aut prior aut melius perspexeris, neque ipse Tu dicere posses neque ego, si talia anquirenda viderentur. Itaque ne de

Tuo benignus essem, illo consilio abiecto alium poetam nunc tractandum mihi elegi, de quo multo rarius quam de Homero Tecum confabulatus sum: Aristophanem dico. Quamquam et hunc communi olim studio tractare solebamus per felix illud primae iuventutis tempus, quo bonarum litterarum fecimus tirocinia et iuncti sumus amicitia illa, quae per sex iam lustra inter nos permansit intacta atque intemerata. Quid quod prima, quam coniunctim legimus veterum fabula, ea ipsa fuit, de qua pauca quaedam nunc sum observaturus e commentariis meis selecta, quos propediem si fors tulerit evulgabo. Nubes me velle intellegis; Tu boni consule quae ex animi sententia denuo Tibi gratulatus qualiacunque Tibi offero.

Et quoniam κρείττω νομίζειν τῶν λόγων τὰ πράγματα Tu mecum soles, non a rebus ad grammaticam quae dicitur artem pertinentibus nunc faciam disputandi initium, sed a quaestionibus quibusdam quas Tibi potissimum, viro rerum scenicarum et amantissimo et peritissimo, diudicandas velim permittere, utpote ad ipsam fabulae compositionem et ea quae in scena cernuntur spectantes. Noli tamen metuere ne molestissimam illam disquisitionem de Priorum Posteriorumque Nubium discrimine denuo sim suscepturus. Verbo nunc dicam: quo melius comicum cognoscere Nubiumque fabulae consilium et compositionem perspicere mihi visus sum, — per multos autem menses intentissimo studio vix quidquam aliud egi quam ut interiorem aliquam huius fabulae mihi compararem notitiam, — eo magis diffidere coepi sententiis damnatoriis, quae de fabula ad nos perlata circumferuntur. Sed fusius hoc demonstrare et — faveant modo Musae — aliis persuadere posthac fortasse dabitur, huius non est loci; nunc paucos tantum Tibi indicabo versus, qui — quicquid de fabulae nostrae origine vel sorte statuimus — immerito culpari mihi videntur.

Nempe de hac quoque comoedia id valet quod ne in ceteris quidem legendis satis semper perpenderunt viri docti: multa, eaque ad res quae aguntur bene intellegendas fabulaeque compositionem suo pretio aestimandam, quin ad multos versus recte interpretandos quam maxime necessaria, scripto exprimi non potuisse, certe a veteribus non esse expressa; quae tamen

aures oculosque spectatorum non fugerunt cum scenae fabula committebatur. Nam nisi mentis veluti oculis percipimus quae in scena aguntur, nisi vultum gestumque colloquentium cernere ipsamque eorum vocem auribus bibere nobis videmur, non vivit nobis fabula meliorque eius pars nos fugit. Quapropter poetae textum edens talia quam possum brevissime indicare soleo, quod lectoribus haud inutile esse persuasissimum habeo, multis autem haud ingratum me facere plus semel intellexi.

Sed ad rem venio. Importuno loco legi creduntur versus 56—59. Neque miror multos Aristophanis studiosos, dum Strepsiadis monologiam illam perlegunt, qua de nobili uxore filioque prodigo conqueritur, male habuisse interiectam vocem servi:

ἔλαιον ἡμῖν οὐκ ἔνεστ' ἐν τῷ λύχνῳ,

dein senis minas:

οἴμοι· τί γάρ μοι τὸν πότην ἧπτες λύχνον;
δεῦρ' ἔλθ', ἵνα κλάῃς,

tum verba servi:

διὰ τί δῆτα κλαύσομαι;

senis denique responsum:

ὅτι τῶν παχειῶν ἐνετίθεις (*ἐντιθεῖς?) θρυαλλίδων.

Non id miror, quippe qui et ipse hic haeserim. Fuit autem qui post versum 20 haec omnia collocanda esse suspicaretur, quae et mea aliquando fuit opinio. At nunc quam fuerit ea absurda, quamque recte habeat textus traditus, perspicere mihi videor. Nam vs. 18—20 senex lucernam poscit et tabulas accepti et expensi, itaque servus aliquis eas affert, qui deinde lucernam tenens domino legenti et meditanti adstat. Fac nunc insertis versibus supra exscriptis servum, qui lucernam afferre iubetur, clamare non inesse oleum, dein aufugere ne vapulet — ad lunae lumen pater familias debebit consulere tabulas suas. An colaphum illum, qui puero intentatur, satis valuisse putamus ad lucem e sicco ellychnio excitandam? Dignum profecto Munchhauseno illo inventum!

At suo loco haec quam sunt apta! Nemo enim melius scit quam Tu, qui iuvenes drama aliquod Sophocleum vel Plautinum in scena acturos consilio tuo saepius adiuvisti, quam molestae actoribus sint ῥήσεις nimis prolixae. Et Aristophanem hoc

ignorasse putamus? Immo pro sua rerum scenicarum peritia sciens et consulto senis verba interrupit voce pueri, clamantis lucernam modo allatam, quam manu tenens etiam adstat, in eo esse ut extinguatur, — simul sic efficiens ut sordida parcimonia hominis olei guttas singulas numerantis spectatorum oculis veluti obiciatur. Praeterea e brevi hoc servi herique colloquio elucet mancipii non submisse sed audacter et truculente loquentis impudentia illa per belli tempora nata, de qua fabulae initio rusticus noster est conquestus. Denique — quod haud scio an sit gravissimum — apte sic e scena semovetur servulus cum sua lucerna. Nam tacitum eum nunc proripere se in domus interiora quivis opinor intellegit.:

Venio nunc ad versus festivissimos 412 sqq.:

ὦ τῆς μεγάλης ἐπιθυμήσας σοφίας ἄνθρωπε παρ' ἡμῶν,
ὡς εὐδαίμων ἐν 'Αθηναίοις καὶ τοῖς Ἕλλησι γενήσει,
εἰ μνήμων εἶ καὶ φροντιστής, καὶ τὸ ταλαίπωρον ἔνεστιν
ἐν τῇ ψυχῇ, καὶ μὴ κάμνεις μήθ' ἑστὼς μήτε βαδίζων,
μηδὲ ῥιγῶν ἄχθει λίαν μηδ' ἀριστᾶν ἐπιθυμεῖς,
οἴνου τ' ἀπέχει καὶ γυμνασίων καὶ τῶν ἄλλων ἀνοήτων,
καὶ βέλτιστον τοῦτο νομίζεις, ὅπερ εἰκὸς δεξιὸν ἄνδρα,
νικᾶν πράττων καὶ βουλεύων καὶ τῇ γλώττῃ πολεμίζων.

Qui versus Choro — id est coryphaeo — tribuuntur in codicibus Veneto Ravennate aliis, quos hodierni editores sequi solent. Sed Socrati sunt tribuendi, si quid video; nulla enim est causa cur chori nunc dux interrupto philosophi et rustici colloquio versus aliquot proferat, non a *Nubibus* autem sed a *philosophis* magnam illam sapientiam petiturus huc venit Strepsiades. Ad hos igitur pronomen ἡμεῖς versu 412 (ut mox vs. 423) referendum esse arbitror; neque deterret vox ἄνθρωπε, quae in Socratis ore nihilo minus est apta quam ἐφήμερε illud, quo rusticum se visentem primo allocutus est vs. 223.

Quicquid id est, non *ad Socratem* sed *ad Strepsiadem* haec dici certum est. Quapropter non potest non miros nos habere Diogenis Laertii locus II 5 § 27, qui ut demonstret ὅτι οἱ κωμῳδοποιοὶ λανθάνουσιν ἑαυτοὺς δι' ὧν σκώπτουσιν Σωκράτην ἐπαινοῦντες, hos affert Aristophanis versus:

ὦ τῆς μεγάλης ἐπιθυμήσας σοφίας ἄνθρωπε δ ι κ α ί ω ς,

ὡς εὐδαίμων παρ' Ἀθηναίοις καὶ τοῖς ἄλλοισι διαζῇς·
εἶ γὰρ μνήμων καὶ Φροντιστής, καὶ τὸ ταλαίπωρον ἔνεστιν
ἐν τῇ γνώμῃ, κοὐκέτι κάμνεις οὔθ' ἑστὼς οὔτε βαδίζων,
οὔτε ῥιγῶν ἄχθει λίαν οὔτ' ἀρίστων ἐπιθυμεῖς,
οἴνου τ' ἀπέχει καὶ ἀδηφαγίας καὶ τῶν ἄλλων ἀνοήτων.

„En certissimum tenemus indicium duplicis Nubium recensionis" — sic fere Buecheler olim in docta et acuta disputatione, qua multis persuasit, — „affert enim Laertius quae et similia sint textui nostro et dissimilia; e priore igitur fabulae recensione haec excerpsit, in qua ad Socratem dicebantur."

Diogenes igitur, sero natus homo, manibus tenuerit priscam illam recensionem, quae ne Callimacho quidem innotuisset olim? An alios secutus fuerit scriptores, qui tenuissent? Crederem fortasse, quamquam invitus, sed crederem, si alia nulla huius discrepantiae indicari posset causa. At potest, opinor. Nostro enim loco Socratis imago quaedam pingitur facete et ridicule, verum autem est id quod dicit Diogenes, comicum his versibus philosophum collaudasse potius videri quam deridendum propinasse. Quid igitur? nonne menti omnium, qui Socratem admirabantur, inde a Platonis aetate hunc praesertim Nubium locum inhaesisse putamus? Diogenem autem hoc de argumento scribentem nonne memoriter eos versus attulisse credibile est, leviter autem eos mutasse, ut suis ipsius verbis apte possent annecti? Hanc ob causam non *de Socraticis* in universum hic sermonem esse sed *ad ipsum Socratem* haec dici vel lapsu memoriae deceptus tradit vel consulto finxit; hanc ob causam futuro *γενήσει* substituit praesens eiusdem significationis *διαζῇς*, et hypotheticam voculam *εἰ* mutavit in *γάρ*, quae particula deinde ultro secum trahebat negationem *οὐ* quater negationi *μή* substitutam.

„Credibile esto", sic Te interpellantem me fingo, „at certum quominus ducam multum abest." En igitur quod fidem faciat. Cetera quae discrepant eiusmodi sunt omnia, ut appareat hominem ab Aristophanis leporibus longe distantem *in deterius mutasse* versus, quorum non satis accurate meminisset. Nam *παρ' ἡμῶν* in textu tradito est aptissimum, insulsum vero est adverbium quod apud Diogenem legitur *δικαίως*. Dein qui aliquem *ἐν Ἀθηναίοις καὶ Ἕλλησι* clarum fore dicit, eo utitur

loquendi genere quod e verbis ὦ Ζεῦ καὶ θεοί et similibus notum est: gradationem quandam constituit, prius partem dein totum nominando; at exquisitum hoc Ἕλλησι muta in ἄλλοισι et habes ieiunae importunaeque loquacitatis verbulum Aristophane indignum. Tum versu 414 sq. comicus dicit τὸ ταλαίπωρον requiri ἐν τῇ ψυχῇ hominis qui verus Socraticus fieri velit, vocem autem ψυχὴν non ad *mentis* nunc sed ad *corporis* potius facultates ipsamque *vim vitalem* esse referendam, vertendum igitur esse *een taai gestel*, Tibi ut demonstrem Amice non multis hercle verbis est opus, nosti enim illud περὶ τῆς ψυχῆς τρέχειν multaque alia quae sunt huiuscemodi, nosti versum huius comoediae 712 τὴν ψυχὴν ἐκπίνουσιν, vides autem propter verba vicina aliam huius substantivi versionem ne admitti quidem posse: — quid Laertius? scribit γνώμῃ, quod primo adspectu fortasse magis videtur perspicuum, revera verti nequit. Denique οἴνου καὶ γυμνασίων rustico abstinendum fore dicit textus traditus, apud Diogenem legitur οἴνου καὶ ἀδηφαγίας: et Aristophaneum hoc esse credimus? Athenienses igitur οἱ ὀλιγόσιτοι ita gulae erant dediti ut cohortandus esset novus discipulus ne in communi illo luto haereret? et si quam maxime hoc morbo Aristophanis aequales laborabant, parcone nostro γεροντίῳ eum vultum eum corporis habitum fuisse credimus, ut ille quoque admonendus videretur ne voracitati indulgeret? I nunc et hisce testimoniis fretus crede Diogeni prae manibus fuisse Nubium recensionem nescio quam a nostra diversam!

Mitto nunc leviora illa et dubia παρ' et ἀρίστων. Sed de voce γυμνασίων, quam praebet textus receptus, aliquid videtur esse addendum, quo magis fidem faciam. Nam fortasse respondebis post ea quae observavi Diogenis illas lectiones Tibi quoque nullius pretii videri, at ne vulgatam quidem videri integram, a multis autem esse tentatam, βαλανείων vel συμποσίων conicientibus. Libere igitur proloquar, id quod codices nostri praebent et sanum esse me iudice et aptissimum. Nam quod Socrates ipse a corporis exercitatione non erat alienus, id argumento esse nunc non debet; nonne etiam praesentibus nummis docere quomodo causa deterior superior possit fieri in fabula nostra fertur? nonne rebus sublimibus invigilare artisque grammaticae esse curiosissimus? quae tamen neutiquam in eum

cadere ne ipse quidem Aristophanes nesciebat, opinor. Sed scribarum turbam pallidam e sophistarum umbraculis prodire, non marathonomachis dignam sobolem, neglegi enim corporis exercitationem solaque lingua uti iam discere iuvenes, cum in Nubibus passim conquestus est comicus tum postea in Ranis, ubi videantur praesertim vs. 1083 sqq.:

κᾆτ' ἐκ τούτων ἡ πόλις ἡμῶν
ὑπογραμματέων ἀνεμεστώθη
καὶ βωμολόχων δημοπιθήκων,
λαμπάδα δ' οὐδεὶς οἷός τε τρέχειν
ὑπ' ἀγυμνασίας ἔτι νυνί.

Hoc nunc una voce *γυμνασίων* breviter et in transitu notatur, dein voce *ἀνόητα* non *amoris illecebrae* significantur, ut statui cum admiratione vidi, — quid enim seni et rustico cum meretriculis? — sed si omnino accuratius definienda videtur huius substantivi vis, dixerim *τὸ θερμολουτεῖν* potissimum eo indicari, *τὴν ἀλουσίαν* igitur *καὶ τὸ αὐχμηρὸν* Socraticorum nunc respici. Vox vero *συμποσίων* si in textu tradito extaret, coniectura eam removere conarer, quoniam post *οἴνου* mentionem prorsus mihi videtur supervacanea.

Sed ne a proposito aberrasse Tibi videar, cum de gestibus actorum vel rebus quae in scena aguntur nihil nunc legas observatum, redeo ad versum 415. Ubi participium *ἑστὼς* singulari quadam vi est adhibitum. An dubitas, Amice, quin in transitu sic indicetur mirificus ille Socratis morbus, — an ingenii potius dicam vim insitam? — quem eius aequalibus stuporem saepe incussisse risumque movisse testantur Platonis in Convivio loci notissimi. Nempe solebat Socrates in media via nonnumquam subsistere, ut de re, quae forte fortuna sibi incidisset, secum meditaretur; quin aliquando per integrum diem noctemque insequentem — si fides est Alcibiadi — sub dio perstitit indefessus frigorisque patiens. Quae cur nunc *ἐν εἰδόσι πάντ' ἀγορεύω*? Quoniam saepe rogarunt philologi cur Aristophanes, Socratem cum in scenam traduceret, hunc morem prorsus neglexerit, aptissimum ad cachinnos plebeculae ciendos. Et ego diu hoc sum miratus, nunc locum fabulae nostrae possum indicare, ubi revera noster talem Socratem exhibuit. Inspiciamus

versus 695 sqq., paucis autem — ne longus fiam — verbis adscriptis ostendam quomodo in scena haec acta fuisse arbitrer.

ΣΩΚΡΑΤΗΣ.

ἐκφρόντισόν τι τῶν σεαυτοῦ πραγμάτων.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

(*grabatum designans:*)

μὴ δῆθ', ἱκετεύω, ἐνταῦθά γ'· ἀλλ', εἴπερ γε χρή,
χαμαί μ' ἔασον αὐτὰ ταῦτ' ἐκφροντίσαι.

ΣΩΚΡΑΤΗΣ.

οὐκ ἔστι παρὰ ταῦτ' ἄλλα.

(*Senem vi cogit in grabato considere, dein secedit et meditabundus consistit.*)

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

κακοδαίμων ἐγώ,
οἵαν δίκην τοῖς κόρεσι δώσω τήμερον.

(*Dum sequentia canuntur in grabato iactat membra et volutatur, cum cimicibus bellum gerens.*)

ΧΟΡΟΣ.

φρόντιζε δὴ καὶ διάθρει, πάντα τρόπον τε σαυτὸν
στρόβει πυκνώσας.
ταχὺς δ', ὅταν εἰς ἄπορον πέσῃς,
ἐπ' ἄλλο πήδα
νόημα φρενός· ὕπνος δ' ἀπέ-
στω γλυκύθυμος ὀμμάτων.

(*Verba* σ τ ρ ο β ε ῖ ν, π η δ ᾶ ν *cetera cum violentis senis motibus ridicule congruunt.*)

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

ἀτταταῖ, ἀτταταῖ.

ΚΟΡΥΦΑΙΟΣ.

τί πάσχεις; τί κάμνεις;

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

ἀπόλλυμαι δείλαιος· ἐκ τοῦ σκίμποδος
δάκνουσί μ' ἐξέρποντες οἱ κορ . . . ίνθιοι κτέ.

ΚΟΡΥΦΑΙΟΣ.

μή νυν βαρέως ἄλγει λίαν.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

καὶ πῶς, ὅτε μου
φροῦδα τὰ χρήματα, φρούδη χροιά,

φρούδη ψυχή, φρούδη δ' ἐμβάς,
καὶ πρὸς τούτοις ἐπὶ τοῖσι κακοῖς
φρουρὰς ᾄδων
ὀλίγου φροῦδος γεγένημαι;

ΣΩΚΡΑΤΗΣ.

(*Meditatione absoluta ad se redit, dein adit Strepsiadem.*)
οὗτος, τί ποιεῖς; οὐχὶ φροντίζεις;

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

ἐγώ;
νὴ τὸν Ποσειδῶ.

En habemus illum ipsum quem oculis nostris in scena obici poscebamus, Socratem δαιμονίῳ τινὶ aurem praebentem, ceteris rebus hominibusque surdum et caecum. Nunc vero inspice codices: videbis *Socrati* dari quae ego praeeunte Godofredo Hermanno tribui *choro chorique duci*; versus igitur 700—706 metro insolito, quod choro unice aptum est, perscriptos a Socrate prolatos credi, et eundem, postquam cum sene confabulatus est aliquantisper, subito verba „οὗτος, τί ποιεῖς" vel „τί πάσχεις" (quod unus certe codex habet) interserere perabsurde; quam primum aliquem compellantis esse vocem neque Te, Amice, fugere potest, neque quemquam qui linguae Graecae haud sit imperitus. Quapropter hic quoque locus olim certe afferebatur inter argumenta ad duplicem Nubium recensionem miseramque textus nostri condicionem comprobandam idonea. Nonne festiva haec omnia mecum ducis et ad cachinnos excitandos aptissima? Tu videris pro Tua rerum scenicarum peritia multo usu parata.

Sed priusquam ab his versibus discedam, pauca sunt addenda de verbis Strepsiadis ultimis. Vides me vs. 720 scripsisse ἐπὶ τοῖσι κακοῖς pro eo quod codices praebent ἔτι τοῖσι κακοῖς, quoniam neque video quid nunc sibi velit particula ἔτι, neque proverbialem locutionem φρουρὰς ᾄδων vertere possum nisi accedat aliquid; sed ἐπὶ scribere si licet, optime intellego querelas hominis de salute prorsus desperantis, cui praeter cetera hoc est gravissimum quod ne dormire quidem licet, cum inter hasce aerumnas etiam vigilare iubeatur. Idem igitur est φρουρὰς ᾄδειν ἐπὶ τοῖς κακοῖς quod φυλακὴν ἐπὶ τοῖς κακοῖς ποιεῖσθαι ᾄδοντα, *malis invigilare*; cantillare nimirum solent qui vigilare iussi somnum

obrepentem ab oculis depellere conantur, *ὕπνου τόδ' ἀντίμολπον ἄκος* — ut cum vigile Aeschyleo (Ag. 17) loquar — *ἐντέμνοντες*. Meo igitur iure locutionem *Φρουρὰς ᾄδειν* *vigilandi* verbo reddere mihi videor, licet exemplis aliunde petitis hunc usum dicendi confirmare nequeam. Reicienda vero est lectio altera *Φρουρᾶς ᾄδων*; nam etiamsi salva lingua ita dici potuerit, — optime autem nosti quam raro merus genitivus substantivi, cui nulla insit temporis notio, occasioni designandae inserviat, qua de re nuper ad Odysseae versum *η* 118 quaedam observavimus, — sed etiamsi per artem grammaticam nihil obstare videatur quominus *Φρουρᾶς* apud comicum significet *inter vigilandum*, nostro tamen loco ea locutio non est apta, hunc enim sensum praebet: *ideo praesertim contabui quod inter vigilandum canto*, — quae vides quam sint absurda.

Socrati aliquot versus ab Hermanno iure esse ademtos ut choro et coryphaeo eos tribueret, modo vidimus: nunc contrariam viam inibo. Nempe Bentlei quo magis admirari soleo ingenium, eo minus intellego quid eum moverit ut versus 457—461, 462—464, 467—475 invitis codicibus daret choro, minusque etiam cur recentiores, qui Bentleium laudare saepius quam sequi solent, hoc potissimum loco nimis dociles se ei praebuerint. Nunc quoque periculum faciam an verbis aliquot textui Graeco adscriptis meam de hoc loco sententiam exponere possim Tibique commendare.

ΣΩΚΡΑΤΗΣ.

(*secum:*)

λῆμα μὲν πάρεστι τῷδέ γ'
οὐκ ἄτολμον, ἀλλ' ἕτοιμον.

(*Ad Strepsiadem:*)

ἴσθι δ' ὡς
ταῦτα μαθὼν παρ' ἐμοῦ κλέος οὐρανόμηκες
ἐν βροτοῖσιν ἕξεις.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

τί πείσομαι;

ΣΩΚΡΑΤΗΣ.

τὸν πάντα χρόνον μετ' ἐμοῦ ζηλωτότατον βίον ἀνθρώπων διάξεις.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

ἆρά γε τοῦτ' ἄρ' ἐγώ ποτ' ὄψομαι;

ΣΩΚΡΑΤΗΣ.

ὥστε γε σοῦ πολλοὺς ἐπὶ ταῖσι θύραις ἀεὶ καθῆσθαι,
βουλομένους ἀνακοινοῦσθαί τε καὶ εἰς λόγον ἐλθεῖν,
πράγματα καὶ ἀντιγραφὰς πολλῶν ταλάντων,
ἄξια σῇ φρενί, συμβουλευσομένους μετὰ σοῦ.

ΚΟΡΥΦΑΙΟΣ.

(*ad Socratem:*)

ἀλλ' ἐγχείρει τὸν πρεσβύτην ὅ τι περ μέλλεις προδιδάσκειν κτἑ.

Aliquot autem versibus ante coryphaeus manifeste finem fecerat cum Strepsiade colloquendi, itaque post verba

ἀλλὰ σεαυτὸν θαρρῶν παράδος τοῖς ἡμετέροις προπόλοισι

(vs. 436) chori verba ad senem nulla expectantur aut ferri possunt, aptissima vero sunt quae dicit Socrates; quid quod illa *παρ' ἐμοῦ* et *μετ' ἐμοῦ* nisi a Socrate dici non potuerunt, licet Bentley in coryphaei ore apta esse contenderit.

Sed aliquantisper etiam immoremur loco, unde digressi sumus, vs. 724 sqq.; ubi Strepsiades a Socrate rogatus nondumne meditetur aliquid, nonnulla cum eo colloquitur, quae duplicis recensionis manifesta exhibere vestigia multis sunt visa. Nuper tamen Bernhardus Heidhues v. d. in commentatione, quae bonae frugis habet multa [1]), et hoc crimen et alia feliciter diluisse mihi videtur. Quamquam virum egregium aut a risu alieniorem esse dixerim aut modorum musicorum artis Wagnerianae intempestive fuisse memorem, qui post alios duo „motiva" hic agnoscat, „das *πέος*-motiv und das *κόρεις*-motiv", quae Teuffelio Fritzschio aliis cum prorsus dissociabilia essent visa duplicisque recensionis certissimum argumentum praebere crederentur, gravi ille voce serioque vultu demonstratum ivit „dass das *πέος*-motiv" nam ipsius verba afferenda videntur „in der handlung begründet, „also verständig angewendet ist und sich aus dem *κόρεις*-motiv „ganz folgerichtig und natürlich entwickelt".

Equidem de summa rerum Heidhusio assensus locum excribam, ut more meo indicem quomodo acta haec arbitrer, sperans

1) Über die Wolken des Aristophanes, (Progr.), Köln 1897.

fore ut satis sic respondisse videar ad crimina eorum, qui versus 731 sqq. cum praecedentibus parum congruere perhibuerunt.

ΣΩΚΡΑΤΗΣ.

καὶ τί δῆτ' ἐφρόντισας;

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

ὑπὸ τῶν κόρεων εἴ μού τι περιλειφθήσεται.

ΣΩΚΡΑΤΗΣ.

ἀπολεῖ κάκιστ'.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

ἀλλ' ὦ ἀγάθ', ἀπόλωλ' ἀρτίως.

ΣΩΚΡΑΤΗΣ.

οὐ μαλθακιστέ', ἀλλὰ περικαλυπτέα.
ἐξευρετέος γὰρ νοῦς ἀποστερητικὸς
καὶ ἀπαιόλημ'.

(*Lodice involvit Strepsiadem, dein intrat domum, ut videat quid ceteri agant discipuli.*)

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

(*Ut primum abiit magister, caput exserens:*)

οἴμοι, τίς ἂν δῆτ' ἐπιβάλοι
ἐξ ἀρνακίδων γνώμην ἀποστερητρίδα;

ΣΩΚΡΑΤΗΣ.

(*rediens, secum:*)

φέρε νυν ἀθρήσω πρῶτον ὅ τι δρᾷ τουτονί.

(*Ad Strepsiadem, qui caput denuo abdidit:*)

οὗτος, καθεύδεις;

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

(*caput exserens:*)

μὰ τὸν Ἀπόλλω, ἐγὼ μὲν οὔ.

Nonne apta et concinna haec omnia Tibi videntur, Amice, magnoque comico haudquaquam indigna? Mihi certe videntur. Quamquam unus versus *ψυχρότερος Ἀραρότος* dicendus esset sane, si vera esset quae circumfertur eius interpretatio. Dico verba *ἐξ ἀρνακίδων γνώμην ἀποστερητρίδα*. Nam insulsissimus profecto sit homo necesse est, qui ad verbum *ἐξαρνεῖσθαι* — quod vulgo perhibent — sic alludat, epico scilicet exemplo (*τ* 562 sqq.) pellectus. At nihil eiusmodi Aristophani haec scribenti in mentem venisse quovis pignore certem; *ἀρνακίδες* sunt

σισύραι, pelles oviles, quibus obtectus nunc est senex; itaque nihil aliud dicit homo cum cimicibus bellum gerens internecivum, nisi hoc: *quis tandem iniciat mihi inventum fraudulentum e lodicibus vervecinis! „Corinthiacae" istae stragulae quid prosunt ad spoliandos creditores!* — Iniciendi verbo utitur quoniam Socrates modo ei ἐπέβαλεν ἀρνακίδας, certe unam ἀρνακίδα, hac autem voce lodices nunc designat quoniam *agni* a fraudulenta sollertia sunt quam maxime remoti, ita ut πρόβατα, *oves, verveces* dici soleant homines imbelles, mites, stolidi; vid. vs. 1203.

Nihil fortasse magis est dolendum Nubium lectoribus, quam quod nescimus quemnam virum aequalem vultu repraesentaverit ὁ Ἄδικος, quem ὁ Δίκαιος. Nam non meras quasdam umbras has fuisse, sed vivos homines longoque usu Atheniensibus notissimos facie, voce, gestibus rettulisse, id quidem duco certissimum. Sed hac de re, quae vereor ut ad liquidum possit perduci, verba nunc non sum facturus; hoc unum rogo, satisne quid dicerent perpenderint viri docti et sagaces, qui ultima Iusti verba *ad spectatores* dici perhibuerunt, *in orchestram* enim eum *veste proiecta desilire.* Quae opinio quam sit absurda et quantopere ipsi verborum Graecorum naturae repugnet facile potest ostendi. Excribam verba poetae (vs. 1102 sqq.), paucis de meo adiectis, dein quaedam de iis observabo.

ΔΙΚΑΙΟΣ.

(*ad spectatores:*)

ἡττήμεθ', ὦ βινούμενοι.

(*ad Iniustum:*)

πρὸς τῶν θεῶν,
δέξασθέ μου θοἰμάτιον, ὡς
ἐξαυτομολῶ πρὸς ὑμᾶς.

(*Vestem ponit, dein meditaculum intrant ambo. — Prodit Socrates.*)

Victum in disputatione se sentit Iustus, persuasum ei est, pertractus est in partes Socraticorum; horum igitur scholam cupit intrare. Itaque *en pallium meum!* ait vestem ponens, quoniam illuc γυμνοὺς εἰσιέναι νομίζεται, ut ipse Socrates dixit vs. 498. *Nudus* igitur, id est μονοχίτων, *philosophorum castra petit transfuga.*

Dein Socrates prodit, cui Strepsiades — hunc enim oratorum

disputationi adfuisse optimo iure statuit Heidhues l.l. — filium tradit docendum. Accipit novum discipulum philosophus et „κομιεῖ τοῦτον" ait „σοφιστὴν δεξιόν". At iuvenis secum mussitans:

ὠχρὸν μὲν οὖν, οἶμαί γε, καὶ κακοδαίμονα,

dein ad Socratem et patrem:

χωρεῖτέ νυν,

tandem, dum philosophum sequitur in meditaculum, patri domum suam abeunti manu clam minitatur, sic secum reputans:

οἶμαι δέ σοι
ταῦτα μεταμελήσειν.

Et sic aptum finem habet haec fabulae pars, omnino autem deesse mihi videtur causa cur adstipulemur viris doctis qui versibus 877—888 haec nimis similia rati non eiusdem recensionis esse perhibuerunt.

Vides me in versus 1102 verbis distinguendis non facere cum iis qui post ἡττήμεθα colon, post ὦ βινούμενοι virgulam scribunt invito sensu. Nam *Socraticos* βινουμένους vocare nequit Iustus, sed *spectatores*, quorum maiorem longe partem impudicis esse moribus modo ipse confessus est, hoc participio nunc designat. Verbum autem ἐξαυτομολεῖν omni caret vi comica et ne apte quidem potest verti, si ad spectatores sive a Iusto dicitur sive a Phidippide, cui nonnulli codices haec verba tribuunt errore manifesto. Denique δέξασθε non est verbum abicientis quae molesta sunt sed donum aliquod offerentis, solis autem Socraticis nunc vestem suam offerre potest iuvenis.

Ultima quae supra excripsi verba „χωρεῖτέ νυν. οἶμαι δέ σοι ταῦτα μεταμελήσειν" non iuveni vulgo dantur, sed chori versibus qui sequuntur adhaerent in codicibus plerisque et in editionibus hodiernis. Venetus tamen et Ravennas filio ea tribuunt optimo iure. Nam imperativus χωρεῖτε a choro (coryphaeo) apte proferri vix potuit, minae autem ut in Phidippidis ore sunt aptissimae, ita a choro nunc quam maxime sunt alienae; verbum denique οἶμαι non dearum est sed hominis rerum futurarum ignari. Quod qui optime perspiciebat olim Brunck, verba χωρεῖτέ νυν Socrati dabat, sequentia relinquens iuveni; sed hoc si voluisset poeta, fieri vix poterat quin ταῦτα δή vel eiusmodi aliquid Phidippidem faceret respondere, dein minas illas subiungere.

Sub fabulae finem pater filio suis se verbis confutanti iratus respondet: *non est quod putabam a Socrate deceptus, Iovem eiectum esse eiusque loco Ioviculum* [1]) *quendam regnare*,

ἀλλ' ἐγὼ τοῦτ' ᾠόμην
διὰ τουτονὶ τὸν δῖνον. οἴμοι δείλαιος,
ὅτε καὶ σὲ χυτρεοῦν ὄντα θεὸν ἡγησάμην

(vs. 1470 sqq.).

Multis autem egregie displicuit versus postremus, quem delevit Dindorf. Et praestat sane delere haec verba utpote inserta ab homine Christiano veterum prophetarum intempestive recordato, quam ita ea interpretari ut vulgo fit: ante Socratis scilicet scholam comicum in scena exhibuisse magnum quoddam vas fictile, Turbinis illius simulacrum; quas nugas Fritzschio olim, somnianti credo, excidere potuisse, hodie autem ne a Blaydesio quidem sperni, satis mirari nequeo. Sed ὅτε particula elegantius est adhibita quam ut obscuro interpolatori haec verba sine temeritate possint attribui. Sume autem mecum Strepsiadem post verba ἀλλ' ἐγὼ τοῦτ' ᾠόμην celeriter irruere in domum, in qua modo cum filio est convivatus, statimque inde afferre τὸν δῖνον sive ψυγέα, vas amplum atque rotundum, quo inter coenam usi fuerant, — et habemus locum me quidem iudice festivissimum; ex altero enim errore in alterum incidens senex nunc putat non *Iovis filiolum* aliquem a sophistis dici mundi gubernatorem sed *vas* quoddam. Quam patris dementiam abominatus filius abit ad avunculum opinor Megaclem, exclamans

ἐνταῦθα σαυτῷ παραφρόνει καὶ φληνάφα.

Deleto vero versu, qui Dindorfio spurius videbatur, ultima haec filii verba quo referantur non habent, patrisque vox „οἴμοι δείλαιος" veluti in aëre manet suspensa. Atque etiamsi Dindorfio obtemperemus, restat illud διὰ τουτονὶ τὸν δῖνον, quod nisi pertinet ad rem quae cerni nunc digitoque indicari queat, prorsus languet, immo nihil significat. Neque prodest Bentlei coniectura quantumvis speciosa τότ' pro τοῦτ' et Δία pro διὰ scribentis; nam ad Socratem senex dicere potuisset fortasse „*Iovem habui*

---

1) Sic nunc nova voce nimis fortasse audacter reddidi nomen Δῖνον, quod vocibus vitae communis κορακῖνος Λυκῖνος aliis simile rusticus a rebus philosophicis alienissimus perridicule interpretatus est Δι-ινον id est *Iovis filium.*

istum tuum Δῖνον", non potest hoc pronomine uti nunc cum filio colloquens; et ne verum quidem id esset, non enim *Iovem* habuerat τὸν Δῖνον sed *Iovis filium* et *successorem.*

Itaque nisi „Turbinis imaginem" aliquam mente nobis informare possumus, fortasse etiam delineare, et in meditaculi limine collocatam eam fuisse nobis persuademus, statuamus ipsum Strepsiadis δῖνον, vas illud cuius etiam in Vespis fit mentio, in scena adesse, sive ante ianuam Strepsiadis a ministris collocatum, sive nunc ipsum allatum a sene, qui etiam gallum et gallinam, dein mactram attulit in scenam. Nonne Tibi quoque veri hoc videtur similius quam aut comicum nunc delirasse aut monachos illos, qui quam saepe immerito culpati fuerint in dies melius apparet, hic quoque nescio quid deliquisse? Sed Tuo stabo iudicio.

Venio ad versum 1233. Visit Strepsiadem Pasias sodalis, vir mitis, qui veteri amico ut gratum faceret, minas aliquot dedit mutuas, nunc vero cum eas reposcat, vel fenora certe solvi sibi iubeat, impudenter ab eo irridetur. *Tune igitur infitias ire sustinebis mihi te debere quicquam?* exclamat moestus magis quam iratus. Cui *Quidni*? respondet Strepsiades, *aequum enim est lucrari me aliquid per novam filii mei doctrinam.* Dein

ΠΑΣΙΑΣ.

καὶ ταῦτ' ἐθελήσεις ἀπομόσαι μοι τοὺς θεούς,
ἵν' ἂν κελεύσω ἐγώ σε;

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

τοὺς ποίους θεούς;

ΠΑΣΙΑΣ.

τὸν Δία, τὸν Ἑρμῆν, τὸν Ποσειδῶ.

ΣΤΡΕΨΙΑΔΗΣ.

νὴ Δία,
κἂν προσκαταθείην γ', ὥστ' ὀμόσαι, τριώβολον.

Haec et integra sunt omnia et lepidissima. Sed male factum quod versus 1233 maior pars in codice R nescio quam ob causam est omissa, sola autem verba ποίους θεούς ibi extant. Quem Hermannus utinam ne secutus esset, pellectus versibus quales sunt Av. 1233 Ran. 529; utinam nullus e recentioribus editoribus Hermanno hoc quidem de loco disputanti aurem

praebuisset! Unice enim aptus huic loco, immo necessarius est articulus. „Ποίους θεούς” si diceret Strepsiades, vertendum hoc esset *quid deos loqueris*, — qui nulli sint scilicet! — neque respondere posset Pasias singulos deos per quos iurandum erit enumerando. Nihil opus est ut Tibi Amice, ἀνδρὶ γραμματικωτάτῳ, hoc demonstrem; neque multa hercle requiruntur verba, ut Tibi exponam quid valeat articulus praemissus; nosti enim Acharnensium versus 418: τὰ ποῖα τρύχη; *quosnam pannos dicis?* et 963: ὁ ποῖος οὗτος Λάμαχος τὴν ἔγχελυν; *quis tandem est Lamachus iste, quem anguillam sibi expetere dicis?* nosti nostrae fabulae versum 1270: τὰ ποῖα ταῦτα χρήματα; *quamnam tibi vis pecuniam?* Itaque quod in annotatione ad Ran. 529, ubi de hoc loquendi genere observavi quantum sufficere videbatur, Nubium versum 1233 rettuli inter exempla articuli omissi, id factum nollem nunc et errasse me palam proloquor.

Rogat igitur Strepsiades: *quosnam deos dicis?* Dein auditis eorum nominibus cachinnans: *per ista sane numina* exclamat *quaelibet iuraiuranda praestabo libentissime.* Scilicet Δῖνον, quaeque praeterea apud Socraticos valent nova numina, iam reveretur sola.

At „ἵνα particulam in verbis suspectis nullo modo commode posse explicari” scribit Blaydes. Itane vero? Corruptane Tibi quoque videtur? Non opinor; vides enim verbis conceptis nunc uti Pasiam, qui Strepsiadem teste adducto in ius vocat; remansisse autem in iurisconsultorum hac formula priscum adverbium ἵνα, quod etiam in inscriptionibus Atticis hic illic occurrit, mirari non potes.

Sed fortasse unus etiam restat Tibi scrupulus; fieri enim potest ut dubites certine loci mentio nunc possit ferri. Quod si ita est, ad hanc quoque quaestionem habeo quod respondeam. Nam erat Athenis certus locus, ubi iureiurando purgare se solebant cum magistratus tum privati homines; significat Pasias τὸν λίθον τὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ, — *Iovis ara* quae fuisse videtur, — ἐφ' οὗ οἱ διαιτηταὶ ὀμόσαντες ἀπεφαίνοντο τὰς διαίτας καὶ οἱ μάρτυρες ἐξώμνυντο τὰς μαρτυρίας. Vid. [Aristot.] Rep. Ath. c. 55, Plut. Solon. 25, prae ceteris autem Demosth. LIV § 26: Ariston Cononem αἰκίας accusavit, hic ἔξαρνος γίγνεται, rem cognovit diaetetes (cf. Rep. Ath. 53 § 2 sq.), quem perfunctorie

admodum et inique suo munere functum esse coram iudicibus perhibet Ariston, nocte enim testes suos πρὸς τὸν βωμὸν esse adductos et ἐξωρκίσθαι etc.

Duo praeterea Nubium versus mihi sunt observati, ubi recentissimis editoribus fraudem fecit usus articuli. Alter est vs. 981, ubi de puerorum prisco victu dicitur:

οὐδ' ἀνελέσθαι δειπνοῦντ' ἐξῆν κεφάλαιον τῆς ῥαφανῖδος.

Coniecit Blaydes καὶ φυλλεῖον ῥαφανῖδος (coll. Plut. 544) audacter, et κεφάλαιον ἂν ῥαφανῖδος, invita opinor grammatica, et κεφάλαιόν τι ῥαφανῖδος: vel inutile igitur pronomen facilius se ferre posse quam articulum, quem praebet textus traditus, clare significans. At aptissimus est articulus ille! *Ne frustulum quidem e capite raphani recisum pueris sumere licebat olim*, meliores igitur τῆς ῥαφανῖδος partes senioribus erant relinquendae: articulus autem additus est quia *constanter* tunc temporis, ut apud nos *caseus*, coenantibus *apponebatur raphanus*, ὄψον vilissimum, pro quo posterior aetas θύννων potius vel γλαύκων appetebat κεφάλαια (*kopmoten*).

Simile quid de vs. 1431 est dicendum. *Gallorum mores si omnino sequendi tibi videntur*, ad filium dicit senex iratus, *quidni*

ἐσθίεις καὶ τὴν κόπρον καὶ ἐπὶ ξύλου καθεύδεις;

Huic quoque articulo immerenti aliquid de suo substituit Blaydes, καὶ κόπρον κατεσθίεις scribens, admodum infeliciter; non enim *comedendi* nunc requiritur verbum, sed *quidni etiam vesceris merda?* rogat pater: — τῇ κόπρῳ, quae gallis subusve in rustica certe domo quavis praesto est semper.

Et sic ultro ad res grammaticas sumus deducti. Quas priusquam relinquam, nonnulla addam quae cognati sunt argumenti. Inspicias velim versum 761, qui infra denuo erit commemorandus, nunc solum verbum ἴλλε tangam. De quo verbo etiam apud Platonem (Tim. 40*b*) obvio quam erudite Ruhnkenius olim disputaverit in annotationibus ad lexicon Timaei (s. v. γῆν ἰλλομένην) meministi opinor, et scis varias huius verbi formas per libros manuscriptos circumferri; hoc autem loco in Veneto et Ravennate et plerisque legitur εἶλλε, et Ranarum versu 1066 codices habent περιειλλόμενος vel -ειλόμενος vel -ιλλόμενος. Ra-

narum vero loco cum *aoristi* manifesto requiratur participium (= περιζωσάμενος), Cobetus e Photii lexico id olim restituit, περιιλάμενος scribens. Quae tamen aoristi forma vitiosa mihi semper est visa, itaque in Ranarum editione id ipsum quod Photii lexicon praebet περιΕΙλάμενος excudendum curavi, a stirpe ἑλ id deductum esse ratus, ut στειλάμενος ducitur a stirpe στελ, — quae opinio verbi forma Homerica ϝέλλειν satis confirmari mihi videtur. Sed superest rogare quae ratio intercedat inter praesens ἴλλειν et aoristum εἶλαι; quam cum antea non satis perspexissem, nunc intellegere mihi videor. Nempe stirps (ϝ)ελ et praesens ϝέλλειν peperit, quod ex Homero notum est, et alterum praesens *reduplicatione auctum* ϝί-ϝλω sive ἴλλω, quemadmodum e stirpe σεχ cum ἔχω (id est σέχω) natum est tum ἴσχω (id est σί-σχω), et e stirpe νεσ cum νέομαι prodiit tum νίσσομαι sive νί-νσ-jομαι.

Quae si probabiliter sunt disputata, sequitur ut fallax sit verbi τίλλειν τῖλαι analogia, quam sequi solent viri docti; nam praesenti tantum imperfectoque temporibus tribui potuit vocalis ι, aoristo vero est deneganda, quoniam ab illo tempore reduplicatio est aliena.

Itaque libenter sequar Cobetum (Var. Lect.[2] p. 361), apud Euripidem Hel. 452 pro codicum lectione προσείλει scribentem

ἃ μὴ π ρ ό σ ι λ λ ε χεῖρα μηδ' ὤθει βίᾳ,

sed eiusdem tragici senarium de sphinge dictum, quem Athenaeus et Aelianus servarunt

οὐρὰν δ' ὑ π ί λ α σ' ὑπὸ λεοντόπουν βάσιν

(fr. 544 Dind.) recte sic scribi ne Valckenaerii quidem (Diatrib. p. 193) Cobetive l.l. auctoritas ut credam me permovet, et quoniam ὑπήλασ' est in egregio illo codice Athenaei, ὑπηλλ- autem in codicibus Aeliani compluribus, confidenter illic corrigo

οὐρὰν δ' ὑ π ε ί λ α σ'.

Aliud est verbum haud ita apertae originis et potestatis, de quo diu incertus haesi; nunc varios eius usus cum perspicere mihi videar, periculum faciam an Tibi aliisque possim persuadere. Verbum dico σχάσαι, quod in una Nubium fabula ter est adhibitum, licet satis ceteroquin sit rarum in literis Graecis neque alias apud Aristophanem inveniatur.

Nub. vs. 107 pater dicit ad filium:

τούτων γένου μοι, σ χ α σ ά μ ε ν ο ς τὴν ἱππικήν.

Vs. 409 Strepsiades de botulo loquens dicit:

οὐκ ἔ σ χ ω ν ἀμελήσας.

Vs. 740 sqq. Socrates sic alloquitur rusticum:

ἴθι νυν καλύπτου, καὶ σ χ ά σ α ς τὴν φροντίδα
λεπτὴν κατὰ μικρὸν περιφρόνει τὰ πράγματα.

Vides quam dissimiles inter se sint hi loci. Nempe proprie *incidere* significat verbum *σχάσαι*, et hoc sensu usurpatum est versibus 409 et 740, ut vides, medicis autem *σχάσαι φλέβα* dicitur *venam secare* teste Xenophonte Hell. V 4 § 58; alios locos e medicorum operibus collegit Lobeck ad Phrynich. p. 219, et nuper egregia emendatione hoc verbum Naber Iosepho suo reddidit Ant. XIII § 218: *ὡς σχαζόμενος ἀποθάνοι διήγγειλε* (*medicos eum dum secant occidisse* Liv. Epit. LV), ubi codices habent *χειριζόμενος*. Hinc poetae hoc verbum saepius adhibuere sensu *finem faciendi, sistendi, cohibendi* (nostrum *staken*), quoniam cursus sic *inciditur*; cf. Horatianum *incidere ludum*. Sic Pindarus Pyth. X 51 *κώπαν σχάσον* dixit *siste navis cursum*, item Euripides Troad. 810 de classe appellenti *ἔσχασε πλάταν*, apud Pindarum Nem. IV 64 Peleus dicitur *σχάσαι λεόντων ὄνυχας ἀκμάν τε ὀδόντων*, et in Bacchylidis carminibus nuper repertis XVII 121 Theseus Minoem *σχάσαι ἐν φροντίσι*, id est *stupore perculisse*; vid. etiam Eur. Phoen. 960 *τί σιγᾷς, γῆρυν ἄφθογγον σχάσας* et ibid. vs. 454 *σχάσον δὲ δεινὸν ὄμμα καὶ θυμοῦ πνοάς*, quod in comicorum linguam translatum habes apud Platonem fr. 32: *καὶ τὰς ὀφρῦς σχάσασθε καὶ τὰς ὄμφακας*, id est „*desinite* δριμὺ βλέπειν". Hoc autem Platonis comici loco *medium* ita usurpatum esse vides, perinde atque in nostri versu 107.

Praesentis forma antiquior videtur fuisse *σχᾶν*, quae e versu 409 nota est et cum verbo *σπᾶν* — *σπάσαι* potest conferri, recens *σχάζειν*, Platone tamen comico non recentior (fr. 127).

Parum prosunt ad verbi vim melius intellegendam Xen. de Venat. III 5, Cratet. fr. 41, [Soph.] fr. 1027 Nauck^2, — mihi certe parum profuerunt.

Nunc de codice Veneto pauca quaedam observare mihi liceat. Qui Vespas legentibus quantum prosit dudum docuerunt lumina

illa et decora nostrae artis Cobet et Hirschig, neque in aliis fabulis impune eum posse neglegi saepius est demonstratum; in Ranis quid boni praebeat cum in hac bibliotheca tum in editione mea ostendere conatus sum equidem. Neque Nubes recensentibus aliter est statuendum. Dabo duo exempla.

Vs. 376 sqq. Socrates tonitrus causas explicans *Nubes* ait

ὅταν ἐμπλησθῶσ' ὕδατος πολλοῦ, καὶ ἀναγκασθῶσι Φέρεσθαι
κατακρημνάμεναι πλήρεις ὄμβρου, δι' ἀνάγκην εἶτα βαρεῖαι
εἰς ἀλλήλας ἐμπίπτουσαι ῥήγνυνται καὶ παταγοῦσιν,

quae et integra et perspicua sunt omnia me iudice, sed vulgo non recte interpunguntur, virgulis post Φέρεσθαι et post δι' ἀνάγκην collocatis; qui error effecit ut vocem δι' ἀνάγκην pro glossemate haberent multi, dein versum violentissimis remediis vexarent. Mihi minime molestum est illud δι' ἀνάγκην initio apodoseos collocatum, licet in protasi praecedat verbum ἀναγκασθῆναι. *Nubes ubi aqua repletae impulsu coguntur per inane ferri graves imbre, ipso illo impulsu sibi invicem deinde illisae rumpuntur et disploduntur.*

Sed rusticus nondum satis rem perspexit; quapropter Socrates:

οὐκ ἤκουσάς μου, τὰς ΝεΦέλας ὕδατος μεστὰς ὅτι Φημὶ
ἐμπιπτούσας εἰς ἀλλήλας παταγεῖν διὰ τὴν πυκνότητα;

Nonne dixi tibi nubes aqua onustas cum in se invicem incidunt displodi propter .... — Quapropter? *Densitas*ne nubium causa est cur disrumpantur? Minime! Sed *uvida* earum *natura* efficit ut parum sint firmae. *Sicca* si essent earum corpora, veluti pilae resilirent ab ictu, nunc vero propter madorem quo sunt imbutae ceu putria poma eliduntur. Vides me pro voce πυκνότητα poscere ὑγρότητα. Coniecturane igitur opus est? Minime, nam in codice Veneto id ipsum extat.

Qua lectione praestantissima in textum recepta simul aliud vitatur incommodum, quo textus vulgatus laborat. Vicinus enim versus 406 exit in eadem verba διὰ τὴν πυκνότητα. Ibi autem sunt aptissima; nam ventus cava nube inclusus et coercitus urget eam et extendit, mox disruptis eius parietibus magno cum impetu foras ruit διὰ τὴν πυκνότητα, id est *propterea quod vi compressus fuerat*, *wegens zijn hooge spanning*, ut loquuntur nostrates.

Illum igitur quem indicavi poetae versum in solo Veneto

integrum superesse vides. Subiungam locum ubi scholia meras nugas praebentia nonnisi codicis Veneti ope possunt corrigi.

Versu 967 Iustus orator affert initia carminum duorum, quae olim omnium in ore fuerant, nunc vero ut obsoleta spernuntur. Prioris verba initialia sunt „Παλλάδα περσέπολιν δεινάν", in scholiis etiam sequentia adduntur. Praeterea autem in codice V legitur: ἀρχὴ ᾄσματος φησιν ὡς Ἐρατοσθένης· Φρύνιχος δὲ αὐτοῦ τούτου τοῦ ᾄσματος μνημονεύει ὡς Λαμπροκλέους ὄντος, quae manifeste sunt corrupta. Ante omnia igitur pro pronomine αὐτοῦ, quod dittographiae debetur, restituamus particulam αὖ, quam poscit ratio loci. Sed multo gravius vitium restat. Quid igitur? Sequimurne Ravennatem alio ordine haec verba exhibentem et Phrynichi nomen iterantem: ἀρχὴ ᾄσματος Φρυνίχου, ὡς Ἐρατοσθένης φησί· Φρύνιχος δὲ κτἑ. Minime! merae enim nugae sic nascuntur, quae multa viris doctis negotia facessiverunt. Sed in voce ΦΗCΙΝ latet *nomen proprium:* scribatur ἀρχὴ ᾄσματοC CTHC$\overset{\chi}{\mathrm{I}}$ — ἀρχὴ ᾄσματος Στησιχόρου, ὡς Ἐρατοσθένης. Et revera fuisse qui *Stesichori* hoc esse carmen perhiberent etiam ante hanc meam emendationem notum erat e scholiis ad Aristidem, ubi haec leguntur III 537: Παλλάδα περσέπολιν· εἶδος δὲ τοῦτο ᾄσματος καὶ ἀρχή. τὸν δὲ ποιητὴν αὐτοῦ Ῥοῦφος καὶ Διονύσιος ἱστοροῦσιν ἐν τῇ Μουσικῇ Φρύνιχόν τινα, ἄλλοι δέ φασι Λαμπροκλέα ἢ Στησίχορον (vid. Bergk Poet. Lyr. ad Lamproclis fr. 1). Nunc intellegimus Eratosthenem *Stesichoro*, recentiores *Lamprocli* tribuisse hoc carmen. *Phrynicho* vero poetae melico quod olim a quibusdam fuit adscriptum, id mero errori, quem correxisse supra mihi videor, tribuo equidem; multoque minus probo Bergkii opinionem, duo carmina, alterum Lamproclis alterum Phrynichi, quae exordium haberent simillimum, olim extitisse autumantis.

Quicquid id est, vides quantopere hoc quoque loco Venetus ceteris codicibus praestet.

Venio nunc ad quaestionem a praecedentibus longe diversam et gravioris aliquanto argumenti. Nam illi quoque litterarum antiquarum studiosi, quibus aut minus acceptae sunt fabulae Aristophaneae aut — quod eodem redit — minus notae, Nubibus tamen singularem aliquam curam impendere solent propter

ea quae de Socrate et a Socrate in ea fabula dicuntur. Nempe e Platone Socratem admirari et veluti aequalem aliquem virum amare quisquis didicit, non potest non rogare interdum quam fidelis veritatis interpres Plato fuerit in depingenda magistri dilectissimi imagine. Quapropter Xenophonteus ille Socrates a multis comparatus est cum Platonico, dudumque apparuit inter utrumque tantum interesse discrimen quantum interfuit inter ipsum Platonem, cuius divinum ingenium altissima quaeque appetit et vel humiliora splendido quodam lumine perfundit, et Xenophontem, militem fortem mentisque acutae satis, sed tenuissimae et veluti glebae adscriptae. Hinc multi in eam sensim opinionem abierunt ut Platonem suam potius ipsius imaginem quam Socratis pinxisse opinarentur, parum igitur tuta via incedere qui Socrati ea omnia tribuat quae in Platonis dialogis ex eius ore percipiantur. Quam litem nunquam fortasse finem habituram non meum est nunc praesertim componere, nec nisi leviora quaedam, quae ad illam quaestionem pertinent, nunc tangam; sed aliquid tamen profecisse mihi videor e Nubium lectione sedula et assidua ad verum Socratem melius cognoscendum Platonisque fidem in referendis magistri dictis et cogitatis confirmandam. Nam plura quam hactenus indicaverant viri docti apud Aristophanem leguntur, quae cum verbis Socratis Platonici congruunt, ita ut operibus utriusque poetae inter se comparatis — nam poetam Platonem vocare soleo — luculenter me iudice appareat ipsius Socratis dicta quaedam ab altero deridenda propinari spectatoribus, ab altero pia memoria recoli dotibusque sui ingenii exornari.

Quae non nova profecto est observatio. Nam ne veteres quidem fugere nonnulla quae sunt de genere hoc. Sic ad versum 137, ubi Socratis ianitor rusticum ianuam vehementius pulsantem iratis verbis increpat, quod novum Socraticorum inventum ipsius culpa „abortum modo fecerit", in scholiis observatur, ab Aristophane hoc loco rideri nobile illud Socratis dictum: „matris suae se artem factitare, esse enim mentis quoque et cogitatorum μαίευσιν", quod a Platone quam eleganter fuerit expositum in Theaeteto dialogo, omnes sciunt. Eadem autem via progressus Theodorus Kock, vir acutus subactique iudicii, multis plaudentibus statuit, versibus vicinis, ubi pulicis saltum

miro quodam artificio permensus esse dicitur Chaerephon, alludi ad Protagorae famosum illud placitum, πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπον εἶναι.

Sed nondum omnia, quae sunt huiuscemodi, observata vidi. Dabo exemplum. Perridiculis verbis Socratis Aristophanei, quibus mortalem se compellantem primum affatur in corbe suspensus, inesse quod e Platone illustrari possit et inversa ratione ad Platonem intellegendum Socratemque melius cognoscendum adhiberi, ante me viderunt philologi, qui cum vs. 227 sqq.

οὐ γὰρ ἄν ποτε
ἐξηῦρον ὀρθῶς τὰ μετέωρα πράγματα,
εἰ μὴ κρεμάσας τὸ νόημα, καὶ τὴν Φροντίδα
λεπτὴν καταμίξας εἰς τὸν ὅμοιον ἀέρα·
εἰ δ' ὢν χαμαὶ τἄνω κάτωθεν ἐσκόπουν,
οὐκ ἄν ποθ' ηὗρον

optimo iure composuerunt quae in Theaeteto dialogo p. 172 sqq. disputat Socrates de studiis τῶν ἐν Φιλοσοφίᾳ διατριβόντων, quorum qui sunt praestantissimi, horum τῷ ὄντι τὸ σῶμα μόνον ἐν τῇ πόλει κεῖται καὶ ἐπιδημεῖ, ἡ δὲ διάνοια, ταῦτα πάντα ἡγησαμένη σμικρὰ καὶ οὐδέν, ἀτιμάσασα πανταχῇ Φέρεται κατὰ Πίνδαρον, τά τε γᾶς ὑπένερθε καὶ τὰ ἐπίπεδα γεωμετροῦσα, οὐρανοῦ θ' ὑπὲρ ἀστρονομοῦσα, καὶ πᾶσαν πάντῃ Φύσιν ἐρευνωμένη τῶν ὄντων ἑκάστου ὅλου, εἰς τῶν ἐγγὺς οὐδὲν αὐτὴν συγκαθιεῖσα, — in quas regiones si quem harum rerum imperitum parumque curiosum secum adscendere cogit philosophus, istiusmodi homo ἰλιγγιῶν τε ἀφ' ὑψηλοῦ κρεμασθεὶς καὶ βλέπων μετέωρος [ἄνωθεν] ridiculum in modum oberrat et titubat.

Sed nihilo minus huc pertinet locus ille insignis et magnificentissimis verbis exornatus in Phaedro dialogo, ubi ἡ πτέρωσις τῶν ψυχῶν describitur (p. 246 sqq.); quam non ex suopte ingenio Platonem expromsisse totam, testari mihi videtur Socratis Aristophanei illa κρεμάθρα.

Et quam maxime huc referenda sunt quae Socrates ultimis vitae horis cum sodalibus disputasse fertur de anima corpori veluti carceri cuidam immorante et inde relictis terrenis hisce sordibus ad deos evolare gestiente (Phaedon. p. 80 sqq.). Qui locus etiam cum versibus fabulae nostrae 761 sqq. est componendus, ubi Socrates haec iubet senem veternosum:

μή νυν περὶ σαυτὸν ἴλλε τὴν γνώμην ἀεί,
ἀλλ' ἀποχάλα τὴν Φροντίδ' εἰς τὸν ἀέρα,
λινόδετον ὥσπερ μηλολόνθην τοῦ ποδός.

Quid enim haec verba habent nisi derisionem philosophi, qui caelestis patriae appetens hanc vitae rationem, hunc exitum unice laudabat ἐὰν ἡ ψυχὴ καθαρὰ ἀπαλλάττηται, μηδὲν τοῦ σώματος ξυνεφέλκουσα, ἅτε οὐδὲν κοινωνοῦσα αὐτῷ ἐν τῷ βίῳ ἑκοῦσα εἶναι, ἀλλὰ φεύγουσα αὐτὸ καὶ συνηθροισμένη αὐτὴ εἰς ἑαυτήν, ἅτε μελετῶσα ἀεὶ τοῦτο — τοῦτο δὲ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ ὀρθῶς φιλοσοφοῦσα καὶ τῷ ὄντι τεθνάναι μελετῶσα [ῥᾳδίως]. Quam Socratis Platonici sententiam non discipulo sed ipsi magistro deberi e comici verbis iure meo efficere mihi videor.

Sed fortasse haec quoque ab aliis dudum sunt observata, multum enim abest ut omnia quae de Socrate et Platone scripta sunt nota habeam. Quapropter his missis redeo nunc ad prima illa Socratis Aristophanei verba, unde digressi sumus. Subiungit ibi philosophus, quem ἀπὸ ταρροῦ τοὺς θεοὺς περιφρονοῦντα comicus induxit:

οὐ γὰρ ἀλλ' ἡ γῆ βίᾳ
ἕλκει πρὸς αὑτὴν τὴν ἰκμάδα τῆς φροντίδος.
πάσχει δὲ ταὐτὸ τοῦτο καὶ τὰ κάρδαμα.

Hic vix me contineo quin in viros doctos durioribus verbis invehar; qui dum miscent quadrata rotundis multa agendo et annotando id unum sunt assecuti ut delirantis aniculae verbula, non versus facetissimos et eleganter compositos iecisse nunc credatur Aristophanes. Pro multis verba faciat Dobreus, de quo tacere nunc iuberet me reverentia magnis manibus debita, nisi infelicem eius observationem apud Blaydesium denuo repperissem excusam: „quomodo corpus exsiccat esus nasturtii, eodem modo animo cogitandi vim exhaurit humus''. Haeccine Dobreo digna Tibi videntur, Amice? Immo mecum censes, opinor, verba haec esse sensu prorsus destituta. Parum autem prodest ad hunc versum attulisse Diogenis Apolloniatae aliorumve philosophorum locos, ubi sol humorem terrae ad se rapere, vel semina humore nutriri dicuntur, — quae ne stultissimos quidem agricolas latere potuerunt unquam; — neque quicquam huc faciunt veterum dicta de nasturtii acri sapore aut eius effectu in corpus humanum, sed obruitur hisce omnibus iocus comici

et offuscatur eius acumen. Id unum quod in rem nostram conducat inde apparet, notissimum fuisse Atheniensibus nasturtium variosque in usus saepe adhibitum. Itaque e vita nunc quotidiana Socrates more suo petit exemplum ad quaestiones difficiles, de quibus disputat, elucidandas idoneum, et quae cerni nequeunt nunc quoque rebus quae oculis subiectae sunt per imaginem illustrare studet. Nasturtii autem *semina* (*sterrekerszaad*) quam cupide humorem ad se rapiant et hodie sciunt pueri et puellae, qui spongias pannosque laneos iis conserere solent, et olim opinor in Attica sciebant homines. Comicum autem quid moverit ut hac potissimum imagine philosophum nunc faceret utentem si me rogas, respondeo Tibi: agnoscere me veluti echo quandam splendidae comparationis, qua Socrates Platonicus utitur in fine Phaedri dialogi. „Ut laeta seges ex hominis animo possit surgere", sic fere ibi loquitur Socrates, „prius multo labore parandus est ager, dein conserendus, dein per longos menses patienter expectandum, dum germinent grana, procrescant, efflorescant, maturas tandem praebeant aristas, quae in horrea possint cogi, panem salubrem praebiturae. *Adonidis* vero *hortulos* videre est post paucos dies laete virentes: at eiusmodi patinae parantur non ut victus inde quaeratur sed ut ornamenti causa die festo exhibeantur". — En comparatio Socratica, qua animi humani vis et indoles illustratur exemplo petito a seminibus herbarum celeriter germinantium, quale praesertim est nasturtium. Huc alludi arbitror. Itaque comici hic locus testimonio mihi est, Platonem hanc quoque comparationem, perinde atque *μαίευσιν* illam et *πτέρωσιν* quaeque cum iis cohaerent, non ipsum excogitasse sed e magistri ore sublegisse.

Sed relicto Platone rebusque philosophicis, de quibus diffidenter mihi loquendum esse intellego, redeo ad ipsam Nubium fabulam. Creditoribus, qui sub finem Strepsiadem visunt ut nummos suos ab eo reposcant, quemnam vultum et habitum tribuerit comicus ut omnes semper lectores perspexerint vereor; certe *δανειστάς* cum dici eos video, subit suspicio sordidos quosdam toculliones eos vulgo haberi. Sic vero omnem fere leporem ex hac fabulae parte evanescere, non opus est ut Tibi,

Amice, data opera demonstrem, quis enim hoc sentiet unquam nisi Tu sentis, praesertim admonitus. Sed operae pretium videtur paucis verbis utrumque hominem talem fere delineare qualem in scenam induxit comicus. Est igitur *Pasias* rusticus quidam Κικυννόθεν senex, benigni ingenii et minime litigiosus, qui nuper veteri amico se precanti minas aliquot modico fenore dedit mutuas; ventre autem est obeso, quapropter Strepsiades impudenter ludibrio eum habens „ἀσκόν" vocat eius corpusculum, metretaeque id dimidium capere posse perhibet, — *vini* scilicet. — Quem postquam vi et minis Strepsiades multa cum irrisione abegit, alter procedit creditor quammaxime ei dissimilis, *Amynias* quidam iuvenis, — sive Pronapis hic est filius aliunde notus, uti ego arbitror, sive alius eiusdem nominis. Non patris sed filii hic est amicus λάσιός τις, equorum perinde atque Phidippides amantissimus interque certamina equestria vitam terens, eleganter comtus capillisque promissis. At nunc male ei est; nam currum modo fregit, in pulverem deiectus est, pulcra vestis lacerata et foedata, ipsum corpus graviter contusum, dolent ei artus, dolet caput. Itaque lento difficilique gradu ceu tragicus aliquis heros claudicans se protrahit ad domum amici Phidippidis, ut tristem huic casum enarret argentumque, quod nuper ei commodavit, reposcat, quo novum currum novasque rotas sibi emat. Non ipsum tamen sodalem intus offendit, sed eius patrem; qui postquam audivit quid huc eum adduxerit, commiserationem quandam vultu perridicule simulatus: *graviter sane laborare mihi videris* ait (vs. 1271). *Nec mirum*, respondet iuvenis, *curru enim modo sum eiectus.* — *Equos agebas?* retorquet senex: *de asino lapsum te putaveram ita delirantem!* — Irascitur iuvenis et: *hoccine delirare est*, inquit, *suos nummos recuperare velle?* — At senex nihil ad haec respondens, sed multo magis etiam miserari se fingens iuvenem: *ne spes quidem* ait *convalescendi relicta tibi est ulla, opinor!* et mox: *cerebri enim concussione laborare mihi videris.* — Quos versus non sine causa verti nunc; aperta enim et ludicra haec, quam cernis, gradatio tum demum elucet cum ex Hermanni Bergkiique auctoritate legitur αὖθις ὑγιανεῖς (vs. 1275) pro codicum lectione αὐτὸς ὑγιαίνεις. Quam emendationem cur Blaydesius „ineptam" vocet me quidem latet.

Quae coniectura pellicit me ut duobus praeterea versibus prodesse nunc coner.

Alter est 974. Quo loco Iustus orator dicit pueros in arena palaestrae considentes olim solitos fuisse τὸν μηρὸν — non τὼ μηρώ, quod perperam commendavit Blaydes — προβαλέσθαι, alterum igitur crus protendentes dum alteri sub femoribus inflexo insidebant,

ὅπως τοῖς ἔξωθεν μηδὲν δείξειαν ἀπηνές.

Quae quid sibi velint quivis intellegit; olim cavebant pueri ne subductis genubus incomposite humi considentes — non enim ἐπὶ βάθρων, ut ἐν γραμματιστοῦ vel ἐν κιθαριστοῦ, illic sedebant — indecorum adspectum praeberent amatoribus ceterisque hominibus extra palaestram consistentibus ut eorum exercitia animi causa spectarent. Sed quid est illud ἀπηνές? Quae neque attica est vox neque huic sententiae apta, *saevum* enim significat sive *immitem*. Proposita sunt ἀηδές, ἀεικές, ἀναιδές, sed nonne veri Tibi videtur similius poetam scripsisse ΑΓΕΝΝΕΣ, quae litterae in ΑΠΗΝΕΣ abire potuerunt facillime? Est enim ἀγεννές id quod ἀνελεύθερον, δουλοπρεπές, *indecens*, homine liberaliter educato indignum, contrarium τοῦ σεμνοῦ.

Alter locus quem corrigere conabor legitur in vicinia. Versum volo 1006, ubi Iustus orator dicit iuvenem sibi si obtemperet feliciter aetatem transigentem per amoena Academiae vireta decursurum esse cum fido aliquo sodali, coronatum καλάμῳ λευκῷ. Quae sana esse nequeunt; non enim *candent* opinor sed *virent* arundinis folia, sequenti autem versu fit mentio λεύκης φυλλοβολούσης, *populi folia sua iactantis*, *mobilis*, — nam sic vertendum esse Merry certe, emunctae naris editor, sensit, — itaque comicum nunc quovis arundinis epitheto potius usurum fuisse quam adiectivo λευκός, etiamsi rerum natura id tulisset, confidere licet. Nonne quantocius Tibi corrigendum videtur λεπτῷ? *Tenuibus flexilibusque* arundinis surculis, qui soli sunt apti nectendis coronis.

Iamque videamus locum in paucis notum, qui licet fescenninae libertatis plus habeat quam velis, ab hac tamen nostra de rebus quae in scena cernuntur et aguntur disputatione abesse

nequit. Versus dico 538 sqq. — *Haec mea comoedia penes facticios nullos habet*, poeta dicit, qui spectatores praeter morem suo nomine nunc alloquitur ipse. Quem nisi τὸν ἐγκέφαλον σεσεισμένον delirare nunc putamus, claro hinc apparet in alia fabula aliqua — sive Hermippi, quod perhibent scholia, sive Eupolidis, quod ego puto — spectatores id ipsum nuper vidisse et risisse quod a suo dramate abesse dicit Aristophanes; neque minus certum est *insoliti quid* fuisse id quod nunc carpitur. Neque mirum, si quidem recte suspicor de solis *choris* suae aliarumque fabularum nunc loqui poetam. *Actores* autem in fabulis Aristophanis phallis ornatos constanter fere prodiisse etiam post doctam Koertii disputationem (Archaeologische Studien zur alten Komödie, Jahrb. d. arch. Inst. 1894) confidenter nego; omnino enim ab eius arte alienus videtur Dicaeopolis aliquis vel Aeschylus vel Iustus ille orator, dum gravibus verbis declamat, vestem diducens ut eiusmodi ornamento puerorum cachinnos excitet, quo feminas certe caruisse nemo negat, nihil igitur hac aetate obstitisse quominus in scena Dionysiaca cernerentur actores priscum illum phallum non exhibentes. Itaque *illis tantum locis, ubi corpora* quamcunque ob causam *nudantur*, penem facticium, ipsa virilia actoris simulantem, spectatorum oculis obiectum fuisse certum duco. Sed quicquid de actoribus statuimus, *choros* certe comicos nullos habuisse phallos constat; itaque si quis comicus nuper chorum σκυτίοις καθειμένοις ornatum ostenderat, fecerat insolite admodum.

Quicquid id est, iis qui perhibent actores in scena Attica etiam Aristophanis tempore phallo sive καθειμένῳ sive ἀναδεδεμένῳ constanter fuisse instructos, noster locus argumentum praebere non potest, quem videmus aut contrariam rem probare potius aut ab illa quaestione esse alienum. Prorsus vero absurdum est id quod multi contenderunt, priorem fabulae nostrae recensionem phallos habuisse, nunc vero poetam σωφρονέστερον γενόμενον id mutasse eamque ob causam nunc se collaudare. Ad quam opinionem confirmandam adsciscuntur deinde versus 731 sqq., quos priori recensioni proprios, ab altera vero alienos fuisse autumant, — et sic miser lector inextricabili fere errorum tela obstringitur, quos singulatim iam refellere

non sinit me taedium, et Tuo quoque tempori parcendum esse intellego.

Quod vero perhibui modo, solos *choros* nunc respici, haec mea suspicio quam utilitatem versum 541 interpretantibus habeat dicam.

οὐδὲ πρεσβύτης ὁ λέγων τἄπη τῇ βακτηρίᾳ
τύπτει τὸν παρόντ', ἀφανίζων πονηρὰ σκώμματα.

Nempe vocem *ἔπη* in comicorum dictione non trimetros significare sed tetrametros coll. Eq. 508 Ran. 885 recte observavit Zielinski Gliederung der altatt. Komödie p. 289, 1, „den einen „von den beiden Gegnern im Agon" interpretatus. Equidem *coryphaeum* intellego, quem in Eupolidis Prospaltiis — hanc enim spectari fabulam docent scholia — proximum quemque *e spectatoribus* baculo pupugisse, certe iis minitatum esse statuo, recordatus nucularum per caveam sparsarum in alio Eupolidis dramate, cuius mentionem fecit noster loco simillimo Vesp. vs. 58 sq.; videatur etiam ipsius Aristophanis iocus subsimilis Pac. 962.

Dubitas, Amice? Velim igitur Tecum reputes quid sit *ὁ παρών*. Nonne idem quod *ὁ τυχών, ὁ παραγενόμενος* hoc significare Tibi, ut mihi, videtur, de certa igitur aliqua dramatis persona adhiberi non potuisse? Eam enim articuli in huiusmodi locutionibus esse vim ut singularis a plurali numero nihil discrepet, non opus est ut Tibi in memoriam revocem.

A scenographia ad chronologiam nunc Te voco. Quid significant chori verba vs. 581 sqq.?

εἶτα τὸν θεοῖσιν ἐχθρὸν βυρσοδέψην Παφλαγόνα
ἡνίχ' ᾑρεῖσθε στρατηγόν, τὰς ὀφρῦς ξυνήγομεν
καὶ ἐποιοῦμεν δεινά, „βροντὴ δ' ἐρράγη δι' ἀστραπῆς",
ἡ σελήνη δ' ἐξέλειπε τὰς ὁδούς· ὁ δ' ἥλιος,
τὴν θρυαλλίδ' εἰς ἑαυτὸν εὐθέως ξυνελκύσας,
οὐ φανεῖν ἔφασκεν ὑμῖν, εἰ στρατηγήσει Κλέων.
ἀλλ' ὅμως εἵλεσθε τοῦτον. φασὶ γὰρ δυσβουλίαν
τῇδε τῇ πόλει προσεῖναι· ταῦτα μέντοι τοὺς θεούς,
ἅττ' ἂν ὑμεῖς ἐξαμάρτητ', ἐπὶ τὸ βέλτιον τρέπειν.
ὡς δὲ καὶ τοῦτο ξυνοίσει, ῥᾳδίως διδάξομεν·
ἢν Κλέωνα τὸν λάρον δώρων ἑλόντες καὶ κλοπῆς,

εἶτα φιμώσητε τούτου ἐν τῷ ξύλῳ τὸν αὐχένα,
αὖθις εἰς τἀρχαῖον ὑμῖν, εἴ τι καὶ ἐξημάρτετε,
ἐπὶ τὸ βέλτιον τὸ πρᾶγμα τῇ πόλει ξυνοίσεται.

Cum in eo esset ut praetor crearetur Cleon, effecimus ut ecclesia propter tempestatis intemperiem solveretur priusquam latae sunt sententiae. Nempe διοσημία erant tonitru, grando, pluvia. Ad cetera autem signa caelestia quod attinet, quae in versibus sequentibus enumerantur, notetur imperfectum ἐξέλειπε, quod de *conatu* usurpari solet; hoc enim dehortatur nos ne de vero lunae aut solis defectu sermonem nunc esse putemus, cum praesertim ipsa rerum natura obstet quominus luna et sol iisdem diebus deficiant; id quod Graecis non minus quam nobis notum fuisse testatur — si opus — Thucydidis locus II 28. Certum autem duco nostro loco non respici eclipsin, quam luna passa est initio mensis Octobris a. 425, solisve defectum mensis Martii a. 424. Nam *Sphacteriam* Cleon mense Augusto anni 425 expugnavit; itaque etiamsi ad litteram accipiamus verba comici, ad illam tamen Cleonis expeditionem apte referri nequeunt. Accedit autem argumentum gravissimum: Cleon aestate anni 425 non *praetor* Pylum fuerat profectus sed *pro praetore*, Νικίου παραδόντος αὐτῷ τὴν ἀρχήν. Verum igitur vidit Buecheler, qui *Isarcho archonte* (a. 424/3) Cleonem praetorem creatum esse statuit; cui optimo iure assensi sunt Teuffel alii. Nam si nihil praeter ipsa poetae verba nunc consideramus, ea autem accurate interpretamur, luculenter inde apparet Cleonem, quo tempore Nubes scenae sunt commissae, praetorem fuisse, nuper igitur in ἀρχαιρεσίαις creatum, cum brevi ante Atheniensium copiae ad Delium essent profligatae, interemtus esset fidus et potentissimus eorum socius Sitalces, defecisset Amphipolis. Non enim sub anni Attici finem sed exeunte hieme habita esse comitia magistratibus creandis docuit Mueller Struebing, cuius sententiam deinde confirmavit Ἀθηναίων πολιτεία paucis annis abhinc reperta; unde praeterea nunc constat non eodem semper tempore habitas esse τὰς ἀρχαιρεσίας, sed μετὰ τὴν ἕκτην πρυτανείαν ἐφ' ὧν ἂν εὐσημία γένηται, citius igitur seriusve post sextam prytaniam, plerumque prytania septima, mense Anthesterione. Hoc autem anno semel saepiusve diremtas esse propter διοσημίαν sive veram sive fictam, — cuiusmodi artes a partium

studio haud alienas fuisse quivis intellegit, — testantur verba comici supra allata.

Itaque cum docebantur Nubes, verendum erat ne redeunte vere bellum redintegraretur a Cleone nuper praetore creato, cum multi — in his Aristophanes — expeterent inducias; quae revera iis ipsis diebus quibus fabula acta est, mense Martio a. 423, sunt initae. Hoc igitur est quod dicit poeta, stulta civium consilia a diis in melius converti solere, — simul maligne sic rodens famam, quam Cleoni pepererat Sphacteria expugnata. „Nunc homo ille turbulentus et bellicosus praetor „est creatus diis invitis. At vel sic vobis non est desperandum; „nondum enim bellum violentius efferbuit, imo fiunt induciae „pacis praenunciae: quin agite, praeturam illam male partam „quantocius adimite isti praedoni aerarii publici, *ἀποχειροτονεῖτε „αὐτόν*", — id quod prima cuiusvis prytaniae ecclesia fieri poterat. — Nempe nisi obstitissent induciae, Cleon hoc ipso vere ineunte cum classe in Thraciam profectus esset opinor, ut Amphipolim ceterasque quae illic defecerant civitates recuperaret.

Sic verba poetae interpretantibus totum hoc epirrhema perspicuum duco, excepto verbo ultimo. Quid enim est illud *ξυνοίσεται*? Quod nunc dici potuisse pro *ξυνοίσει*, — qua futuri forma in proxima vicinia usus est noster (vs. 590, item Pac. 689 Eccl. 471 etc.), — etiamsi crederem, Tibi tamen persuadere non possem; vides autem quam ineptum in hac sententia sit ipsum verbum *ξυνενεγκεῖν*. Quae qui ante me probe sensit Kaehler v. d., coniecit *ἀποβήσεται*, quod contextui aptum est sane sed assensum non multis poterit extorquere. Aut fallor aut Aristophanes scripsit

ἐπὶ τὸ βέλτιον τὸ πρᾶγμα τῇ πόλει ξ υ σ τ ή σ ε τ α ι.

Tibi autem Amicissime utinam *ἐπὶ τὸ βέλτιον καὶ βέλτιστον τὰ πράγματα ξυσταίη εἰς τὰς ὥρας τὰς ἑτέρας*. Amare me perge, et hoc qualecumque amicitiae pignus eo animo accipe quo Tibi offero Calendis Aprilibus, quo die ipse olim litterarum doctor sum creatus.
